

L A T I V M.

332

Hæc de Roma pro loci angustia sufficiant: qua versus Meridionaliora egresso sese offert *Ostia* Latinis, & Græcis. Gravitoris est Cœli & pestilentis Aeris. Ager Pepones fert copiose. Ostijs relictis, reliqua Latij Opida præcipua quæ mari fere adsident, pervagabor. *Neptunium* agro fertiliore situm est: Cives Aucupio & Piscationi vacant, hodie pertinet ad *Columnenses*. *Astura* Plinio quidem Flumen cum Insula cognomine: Tabula vero Itinerariæ Opidum, quod forte fuit vel ad flumen in Continente, vel in Insula. Locus hic memorabilis cum indignissima M. Tullij Ciceronis, Antonium fugientis cede; tum Corradini fato Henrici F. Friderici 1st, Imperat. N. quem Carolus Eculismensis secuti percussit. *Taracina* vel *Terracina*, *Taracina* Straboni: *Tarracine* Ptol. *Tarracine* Steph. *Terracina* apud Antoninum. Volscorum lingua *Anxur* vocabatur. Opidum est exiguum, sed frequens & honestum. Muri ex quadrato silice absque cemento facti. Ager eius frœcundissimus est & amoenissimus, Vitibus, Aurantijs, Citris, Limonibus, alijsq; id genus Arboribus abundans. *Caieta* *Cajatta* Strab. Hodie *Gaietta*. Vrbs est munita cum primis: Arcem habens invictissimam, cum Turri altissima, Summo in Monte, quem superiorib. annis, Gallis profligatis, muro cinxit Ferdinandus, Aragonum & Neapolitanorū Monarcha. *Sinus* ad Vrbem *Caietanus* audit, apud Strabonem. Portum ibi fuisse celeberrimum, amplissime ab Antonio Pio refectum, refert Spartianus. Hodie nullus est. Mediterranea Latij loca perlustranti offerunt se *Veltre*, Straboni, *Belitra* Steph. vulgo *Belitre*, vel ut alij scribunt *Belletri*, Opidum vetustissimum Volscorum, amplius & populo satis frequeus, Episcopatus fulgens dignitate. Venustissimi situs, jucundissimi prospectus. Mœbius undique cinctum. *Alba* Latinis, *Alba* item Græcis, *Longam* cognominant Veteres Scriptores, ab Situ. Hodie *Savello*, si Leandro fides: si alijs, *Gandolfi*, vel *S. Gandolfo*. Conditor ejus *Ascanius* Æneæ Filius, x x post ædificatum Lavinium anno. Hodie plane desolata jacet. Nunc Septentrionaliora Latij per viam Valeriam Tiburtinamque peragremus. Hic primo se offert loco *Tibur* Ptol. *tibura* Strab. *tivola* hodie. Vrbs ad Anienem fl. Roma distans CL. Stadijs, Procopio. Cœlo est temperatissimo: locoque ob Aquarum Fontiumque copiam saluberrimo. Episcopatus Titulo est nobile. *Maruvium* ad Fucinum Lacum, Marsorum olim Caput, exiguis nunc se prodit, vestigijs; quæ *Marvo* vulgo nominant. *Alba* Latinis, ut & St. *Altam* hanc, quod in penetralibus regionis sita, & perimunita undique esset, tradit Strabo Romanos ijs, qui custodiendi erant tamquam carcerem adsignare, consuevisse. Ruinis nunc rotâ fere collapsa jacer. *Prænestine*, *Prænestus* Strab. *prænestum* Ptol. hodie *Pilastrina*. Situs ejus in declivi Monte ad Venestrum fl. olim longe fuit & amoenissimus; & jucundissimus; ideoque florent Re Romana frequenter Imperatores Augusti huc animi gratia secessisse leguntur. At summo Monti in quo condita, imposita est. Episcopatus hodie gaudet dignitate. *Tusculum* multis olim nominibus insigne, quod haud procul ab *Frascata*, abfuisse censem ex ruderibus, quæ hodieq; visuntur, Viri docti. Plura sunt hujus Nobilitissimæ Partis Italæ Opida, quæ brevitatis studio omittimus. Sunt & *Latio* *Lacus*.

Hoffie